

notetur illativa nota, qua doceimur commen-
tationem judicii divini nos à sceleribus ven-
dicare, *Rom. 14.* Tametsi parentes tui virgæ &
flagello parcant, tametsi Magistratus gladius
in vagina conditus rubiginem contrahat: ta-
men Dei judicium non dormit, mel volupta-
tum tuarum excipiet fel & absynthium judi-
cii divini; & de juvenum hac libidinosa volu-
ptate verè affirmatur, quod *Salomon* in Pro-
verbiis tradit, illam in luctu desinere, *Prover.*
14. 13.

Deinde notandum, conatum & contentio-
nem summam notari verbo removendi, vide
18. Ezech. ubi jubentur homines propria cor-
da renovare, hīc igitur nervi intendendi sunt
juvenibus, hīc vires exercendæ. Huc verò re-
fer illud quod describit *i. Joan. 2. 13. 14.* quo
hic locus mirificè exornatur. Deinde notan-
dum, puritatem requiri animo simul & cor-
pore, *i. Cor. 7.* Deniq; hīc adjecta ratione oc-
currit objectioni: Quid? an voluptates amit-
tam toto juventutis tempore? Respondeo,
atque adolescentia res vana & momentanea
velut aurora; cùm enim vita hominis diei cō-
paretur, tūm adolescentia auroræ assimilatur.
Atq; si vita in milesimum annum producta,
tantūm quasi vigilia reputatur, quo loco erit
juventus, vide *i. Joan. 2. 17.* Quamobrem ita
transfigatur ut fructum aliquem post se relin-
quat,